

πf
1354



Q. H.



Q. N. 353, 32.

DISQUISITIO

Pliniana.

AN VIVO PRINCIPI
DICENDUS SIT PA-
NEGYRICUS.

Panegyricis hodiè scriptoribus
scitu non inutilis.

F. I. A.



Anno clb. lbc. LVI.



Viris bonis ac Lectoribus æquis
Inscripta.

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.



Disquisitionis capita, & capitulum iudicia.

C A P V T I.

1. *Vtile est Principi egere administris.*
2. *Vtile est administris egeri.*
3. *Administrorum utilitas.*
4. *Administrorum diversitas, ordo, Spartha cuiq; sua.*
5. *Administrorum dignitas principi honora & utilis.*
6. *An inter Principis ministros referendi sint scriptores Panegyrici.*
7. *Dignoscitur quæsitum ex ista disquisitione.*

C A P V T II.

1. *Dignoscitur ipsa disquisitio ex natura vivi principis, & distinctione panegyrici. Quis Princeps vivus, quis mortuus, vel quasi.*
2. *Distinguitur Panegyricus in publicum & privatum, publici requisita, origo, diffinitio.*
3. *Plinianus Panegyricus publici norma.*
4. *Qualis ille, & quatenus incitandus.*

CAPVT. III.

1. *Asseritur questio de publico, rationibus variis & validis.*
2. *Idem asseritur exemplis.*
3. *Modestiores laudationibus intercedunt.*

CAPVT IV.

1. *Privati pravae causae, origo, diffinitio.*
2. *Negatur questio de privato variis rationibus.*
3. *Privatae laudationis incommoda.*
4. *Privata laudatio mutatis laudati moribus, mutationi ac pudori obnoxia.*
5. *Eadem nulla ex defectu mandati, privati unius iudicio, arrogantia, ignorantia.*
6. *Eadem rejecta à prudentioribus principibus.*
7. *Ex dictis deducta disquisitionis conclusio, & ad ejusdem confinia digressio.*


CAPVT V.

1. *Iudicium de Panegyricis Academicis.*
2. *Quatenus hi permittendi, & quibus dicendi, quibus non.*
3. *Iudicium de testimoniis DD. Academicorum.*
4. *Iudicium de laudibus virorum magnorum.*
5. *Laudatorum cura.*

CAP. VI.

5.
CAP. VI.

1. Rationes negantium mortuis dicendum esse Panegyricum.
2. Afferitur contra negantes mortuorum laudatio aliis rationibus.
3. Parentationum origo & exempla.
4. Earundem honestas & excellentia.
5. Earundem veritas, utilitas, ac prerogativa.
6. Eadem probatur sententiis exquisitis.

1.  Gere adiutoribus ad fortunam suam gubernandam, Principi non est indecorum, quin maximè id est momenti. Vtile est principib[us] egere ad ministrum.
Princeps enim ex eo se Deo, qui nullis indiget auxiliis, minorem gerit; quo ipso omnibus maior est: in minorum se familiaritatem descendit; tunc maximè Princeps cū amicis

ex Principe agit; amicos curarum socios, parat quod præcipuum est Principis opus: reputatq; se unum non sufficere tot negotiis curandis; nec sibi convenire, quævis obire munia; & ignavi esse omnia per ministros agere; prudentis, alia in alios, qui iis apti ac pares sunt, dispertire, sibi præcipua retinere; industrii, operâ omnium graviter, & tempestivè uti; contra pervicaces, sui semper esse arbitrii, & contentum se uno.

2. Alii quoque, qui absque hoc laterent, ex eodem emergunt; Vtile est administris, egere.
capessunt dignitates, magistratus, præfecturas; vocantur viri illustres, clarissimi, pars corporis principis, oculi, aures, ora, manus: principi inhaerentes, ut stella firmamento caeli. Ipsa eodem juvenis accenditur erigitq; animos ad varia virtutum studia; cum cernit, quos illa honores, quæ munera, quos novos titulos apud Principem mereantur. Pater adeò hinc omnibus honoris & gloriæ campus; adeundus tamen gradu, non saltu, virtutum meritis, non compendiis, bonorum existimatione, non eblanditis precibus.

3. Porro instrumenta principatus sunt boni amici: consilarii instar sunt vestium, quæ corpus principis calore, quem dedit, conservant, & fovent; Administrorum utilitas sunt

sunt inter summam principis auctoritatem jubendi, & subditorum necessitate parendi, medii quasi cancelli, exsequendis illius edictis, & horum desiderii inspiciendis, quæ hinc inde commeant, constituti. Principis fortunam firmant, firmatam servant, labentem sustinent; magnitudinem stabiliunt, felicitatem augent, fortunis omnium subveniunt. Divisa inter se negotia melius ponderant, feliciter expediunt, citius finiunt, quam si omnes unum, aut unus omnia ageret. *Ibi salus, ubi multi consiliarij: Integrum consilium, quod multorum auctoritate comprobatur.* Florentis certum status indicium est, magno circumdari ministerio, calamitosi, paucis; plane intercedentis, nullo ambiri & indigere.

Admini-
strorum
diversitas,
ordo, spar-
tha cuiusq;
sua.

1. Consilia-
stus.

2. Duces
exercitus.

3. Legati.

4. iudices
aliiq; cu-
ratores rei-
publ.

5. Admi-
nistratores
fisci.

4. Inter adjuutores rei publicæ præcipui sunt, quibus secreta status innuntantur; destinati olim dominationibus; hodie extra iniuriam magis, quam extra invidiam procerum, etiam Principatibus impositi, tanquam in rebus subitis & secretioribus necessarii, aptique dando de rebus ad maiorem rei publicæ utilitatem pertinentibus consilio, non habitam ullam aliam rationem.

Proximi sunt, qui armis agros defendunt & prolatant, seditionibus intercedunt, bella fortiter gerunt, feliciter finiunt, summi exercitus Duces.

Ferè utrisque pares aut majores videntur legati, qui Principis auctoritatem secum peregrè ferunt, in potentissimorum populorum oculis versantur, federa, amicitias, belli pacisque commercia ineunt; conspicui prudentiam agendorum regulam, cognitione hominum, negotiorum, temporum, locorum; morum elegantiam, animi tranquillitate, vultus serenitate, aditus facilitate.

Accedunt, qui subditis jura æqualiter, integrè & sine mora reddunt, quique religionis, fidei publicæ, honestatis, annonæ, opificiorum, agriculturæ, mercaturæ sedulam curam, & curatiorem inspectionem habent.

Sequuntur, qui fiscum pro utilitate communi, & absque singulorum iniuriis locupletant; onera populi vectigalia, interventu aliorum commodorum pensant: rei nummarie, quæstorumque rationibus incumbunt; caventque ne princeps sumtuam gravitate redditus ante eat, aut ære alieno oneretur. Hi sunt, qui futuris necessitatibus optimè provident, si audiuntur. Sed ferè pacis tempore nimium absumentur, bello ingruente nimium egerunt.

His

His singulis adstant à Principe delecti epistolis rectè & ex arte di- *Secretarii*
 standis, actisque patrum componendi; quique callent notarum invo- *& scriba.*
 lueris arcana tegere, & retegere.

5. Hos omnes rectè æstimare, gratiâ complecti augere opibus, suo *Ministro-*
 quemque ordine habere cujusque dignitatem conservare, ac tueri, ma- *rum digni-*
 ximè interest fortunæ Principis: Cujus majestatem auget honor habitus *tas ac ho-*
 ministris, quorum oculis & auribus omnia, quæ ubique geruntur, co- *nor principi-*
 gnoscit, ac veluti Deus ubique præsens esse creditur. *utilis.*

Nec quisquam subditorum facile contraiturus est legibus, tot
 principis oculis & auribus objectus, neq; sententiis eorum, quibus prin-
 ceptus ipse dignationem habet. Quia Principe amantur, majori obsequio
 à populo coluntur. Contra ministris vilipensis, populi contuma-
 cia crescit, principis autoritas vilescit, quasi minori judicio usi in iis
 deligendis.

6. Num verò inter Principis ministros referendi sint & æstimandi *An inter*
 illi, qui vivi Principis laudes scribunt, heri & hodiè quæsitum est. Fue- *Principis*
 runt olim fastiditi *ut stulti & irridentes*, hodiè etiam, ut futurorum minus *ministros*
 providi, adulatoribus, quàm laudatoribus annummerati. Plurimi illo- *sint scripto-*
 rum, qui hoc scribendi genere nuper inclaruerunt, nunc erubuerunt, *res Panegy-*
rici.
judicio seipso corripientium pudore. Contra visum est, panegyricos rectè &
 ex commodo Principis & Reipublicæ scribi, scriptoresq; suum inter mi-
 nistros locum mereri.

7. Ultra verò sententia prævaleat, non tam ex singulorum scriben- *Dignosci-*
 di rationibus, quàm ex genere universo, more, ac fine, imò ex ista potif- *tur quasi-*
 simum disquisitione dignoscendum esse arbitror, *an vivo Principi dicendus* *tum ex ista*
sit panegyricus. Quo de, ejusque confiniis, ut promam exactiorem sen- *disquisitio-*
 tentiam, hodierni me seculi mores, reipublicæ utilitas, ac Principum *ne.*
 honor, invitant. Quo enim modo, à quo, & quando, & cui Principi
 scribendus sit panegyricus, nemo ferè hæctenus exactè expendit, nemo
 scripsit. Quin sicut dicturus sum conveniat expediatque
 scribi, aut non scribi, bonus nemo est dubi-
 taturus.

CAP.

CAPVT. II.

Dignosci-
tur ipsa
disquisitio
ex natura
principis
vivi, &
distinctione
panegyrici.
Quis vi-
uus prin-
ceps.

Quis mor-
uus, vel
quasi.

Distingui-
tur Pane-
gyricus in
publicum
& priva-
tum: Pu-
blici requi-
sita, origo,
definitio.

1. **C**Ognita vivi Principis naturâ, & distincto Panegyrici nomine, re-
ctè id, quod quæritur, habetur, Vivus dicitur Princeps, non tan-
tùm qui nondum mortalitatem explevit, sed & qui pro virili portio re
boni principis stationem & munia implet. Quæ Seneca, nimium for-
tè, ita eloquitur; *Omniùm domos illius vigilia defendit, omniùm otium illius la-
bor, omniùm delicias illius industria, omniùm vacationem illius occupatio.* (a) Alius
Principem vivum, id est laboriosum vocat eum, cui omnes menses in guber-
natione sunt septembres ad seminandum, & Augusti ad metendum & colligendum.
Ad solum spectaculum enim non opus habet Respublica Principe, sed in pulvere &
inter arma. (b) Subditi simplicius, & verius putant Principem tùm
maximè vivere Reipublicæ, cum maximè Pacem, Justitiam, annonam,
curat, propriam vitam & domum rectè & principaliter componit.

Contra verò non modò est, qui esse desit, sed & qui desidet, segnis
& ignavus; spirans cadaver, & aurea pecus. Sic torpebat Vitellius, & for-
tunam principatus inertis luxu ac prodigijs epulis presumebat, medio diei, temulentus,
& Saginâ gravis. (c) Similem vixere vitam major & junior Popielus
Poloniæ Principes.

2. Panegyricus est vel publicus, ac propriè ita dictus, vel privatus, &
abusivè talis.

In illo omnia sunt publica; laudandus, laudator, mandatum, mate-
ria, modus, locus finis laudandi. Laudandus est, qui jam maturior an-
nis, & gestis celebris, publicam ac utilem in Republicâ personam pote-
statis sustinet, qualis est modo exhibitus **VIVUS PRINCEPS**.

Laudator sive panegyrista est; qui jure officii publici est munitus.
Hic enim causam, quam agit publicam ut publicus minister rectiùs inte-
ligit. Mandatum est autoritas publica, & Senatus Consultum, quale non
ambigitur Senatum facere posse, non attentato principis iure, quia vim legis non ha-
bet (d) quia quod Senatus consilio ordinatus, id ad imperij beatitudinem, & ad glo-
riam principis redundat (e) Materies est publicum, amplum ac diffusum
meritum, imò persona potius, quàm ejusdem facta, quia laudabilia multa
etiam mali faciunt; at nemo, nisi optimus, laudari potest. (f) Modus est ad
publicum

(a) Consolat. ad Polyb. c. 26. (b) Sævedra Symbol. 71. (c). Tacit. Histor. 1, 62, 8.
(d) l. 2. §. 9. D. de O. l. 1. D. de offic. præf. præ. l. 9. D. de ll. l. ultim. Cod. eo-
& lit. C. de dignitat. Leon. Novell. 78. (e) l. 8. C. de ll. (f) Plin. panegy. c. 56.

publicum hominum favorem ac amorem expressus; *ut amor & gaudium fert, ita quem celebrare solemus*: (g) ex aliorum quoque comparatione conceptus, quia *sine ea nihil non parum grate laudatur* (h) Locus quoque solennis, celebris ac publicus est, nempe curia, palatium, aliudq; auditorium ac conventus publicus. Olim P. R. Quiritibusque pro honore dato gratiæ in Concione, post Principi in curia dictæ. *Et hic est fons panegyricorum, solenni in loco ac celebri conventu dictorum.* (i) Finis denique & ipse est publicus, publica scil. utilitas, quâ de jam jam plura.

Sic adeo panegyricus est publica ac solennis laudatio, autoritate publica, publicæ ac valde utili personæ, à publica persona, celebri in conventu ex utilitate publica dicta.

3. Hæc, quæ modo diximus, in Pliniano Panegyrico, qui publici *Panegyricus Pliniani publici norma.* norma est, concurrunt.

In eo enim Plinius Consul, imperio Senatus, & autoritate Reipublicæ, ex utilitate publica, optimo Principi gratias agit publicè, eo modo quo *in omnium civium ore oculis, animo sedebat.* (k) Ejus materia est Trajani vita publica, quam ordine quodam temporum peragit, orsus ab adoptione, ad tertium evis consulatum, in quo quidquid moderatè, liberaliter, benignè, utiliter, fecerat, recenset, diducit, ornat, privatâ deinde vitâ compositam domum, uxorem, sororem laudat; quod amicos colat, libertos non colat & suo quosq; loco habeat. (l).

4. Panegyricus Plinii munificus est & floridus; non tam ampliter dictus, quàm postillâ scriptus ad exemplar quoddam Atticisimi, *Qualis illè & quatenus imitandus.* imò ad poëticum ferè modum, qui plulculum, quam concedit veritas, sibi indulget. *Sed hæc orationis comitas, quæ bonis ac moderatis principibus paulo cumulatior mensura laudes suas admetitur, justa caret, reprehensione, imò laude non caret, nec idèd nomen Panegyrici amittit.* (m) quia bono more, bono fine hæc concepta benignitas generosis mentibus honestum addit ardorem, ut quales fama & sermonibus prædicantur tales re & factis appareant. (n) imò vellem, si velles dicere Satyræ panegyricam, quia ex comparatione aliorum duplicat materiam, & virtutum & vitiorum non tantum naturam, sed & modum tractat; inlequitur dissimiles, atque sic maxime laudari incolumem imperatorem B putat

(g) Idem. c. 2. (h) Idem c. 53. (i) Lips. in not. Panegyri. c. 4. (k) Plin. paneg. c. 55.

(l) Lips. in argum. Panegyri. (m) Baud. in orat. Panegyri. Contra Theod. Marcil. ad Suet. Vespas. c. 2. Gerhard. vers. instit. orat. lib. 1. c. 5. (n) Baud. in

putat, si priore secus meriti reprehendantur; nam cum de malo Principe posteri tacent, manifestum est, eadem facere presentem. (o).

Eatenus sanè imitandus, quatenus fidei ac veritati litat; quia fidelissime narrare est optimè laudare, (p) quatenus dicendi initium à precationibus capit, ut digna dicente, digna jubente, digna principe, utilis reipublicæ, gloriosa Numini contingat oratio: quatenus deniq; orationem suam ad modestiam Principis, moderationemq; submitit; quatenus nihil fingit, sed sinceram acceptamque laudationem adfert, unde clarè intelligatur, cui dicatur.

C A P U T III.

Afferitur
questio de
publico, ra-
tionibus
variis &
validis.

1.

Ratio

2.

1. **T**Alis tali vivo Principi omninò dicendus est; quia, qui suis consiliis, suisq; laboribus pro toto terrarum orbe, die noctuq; laborat, omninò dignam suæ prerogativâ laudationem habeat. (q) quia ejusmodi laudatio propriè est gratiarum actio. Hæc verò vivo, non mortuo dicitur; Vivorum enim est cum dare & accipere, tum agere & audire gratias. Quâ ratione societatis humanæ studia optimè conservantur; leges gratitudinis verè explentur, si, ubi par pari referri nequit, laude & amore, quæ data sunt, rependuntur. Maximè quippe populus, aut ejus nomine primas peculiari obligatione tenetur, in Gratiarum templo revereri vivum ac præsentem Principem suum, qui per sua ipsum ministeria docet, defendit, alit. (r) secus non evadet ingrati judicium, quod Græcorum, Romanorum, Pontificum jura, feudales consuetudines in eos, qui benè-meritis non referunt gratias, concedunt. (f) Quia etiam parendum est Senatusconsulto, quod actum ab omni adulationis specie purgat. Qui enim imperio Senatus aliquid facit, non videtur prava assentatione, sicuti, qui jussu judicis, non videtur dolo malo facere. Et quidquid unius quidem voce, sed ex consulto Senatus, qui nobilior pars est totius, in principis honorem dicitur, idem est, ac si omnes uno, quod ajunt, ore affirmarent. Quod verò omnibus

dicto orat. ad Plin. Paneg. (o) Plinius Panegyri. cap. 53. (p) Idem cap. 56. (q) l. 3. C. de quadrienn. præscript. (r) Campanil. polit. cap. 2. § 10. (f) Xenoph. lib. 1. Cyri Pædag. Iul. pollux lib. 8. onomast. Lucian. in abdicat. Senec. 4. B. 37. l. un. C. de ingrat. liber. l. fin. (de revocand. donat. l. 2. C. de libert. & eor. liber. Syracid. c. octava 12. q. 2. c. 1. de fend. sine causa non amitt.

omnibus ita videtur, id ita esse dicimus. Eius enim veritas publicâ fide constat. Ut scriptura, ita laudationes publicæ totam vim suam ac auctoritatem accipiunt, ab auctoritate publica, faciuntque plenissimam probationem. (r) Quia porro hic abest à specie necessitatis. Non enim ab ipso Principe iubetur, nec à se ipso sibi honor iste, sed ab agentibus habetur, quorum affectibus cedit; neque ipsis munera Principis predicare, sed principi audire necesse est. (u) Quia denique (quæ summa omnium rerum ratio est, & sola probandæ quæstioni sufficiens) ex utilitate publica est; duplex est: primum, ut principis virtutes veris laudibus commendarentur; deinde, ut futuri principes, non quasi à magistro, sed tamen sub exemplo promoverentur, quâ potissimum viâ possent ad eandem gloriam niti. (x) Parendum est inquit panegyrista, Senatusconsulto, quo ex utilitate publica placuit, ut consulis voce, sub titulo gratiarum agendarum boni principes, quæ facerent recognoscerent, mali, quæ facere deberent. (y) Ista namque laude bonus firmatur in benè agendo, malus blandè ed trahitur. (z) Unde, quo tempore hæc habetur oratio, eo ipso, si quid non deceat te, cuius & nos, & tu ipse tibi sis conscius appareat indignari, erubescere te, & irasci ipsi tibi, tunc manifestum fiat, esse in te, quod te est indignum; qui profectò color pollicetur poenitentia virtutem. (a) Cum enim audiat Princeps solennes panegyricos, non protinus credat, aut saveat suis laudibus, sed si talis nondum planè est, qualis prædicatur, admoveri se cogitet, detque operam, ut ijs laudibus aliquando respondeat; si talis jam est, adniti debet, ut se ipso melior evadat. (b)

2. Talem panegyricum vivo Trajano ac tertium Consuli Consul Plinius Kal. VII BR olim dixit sive scripsit. Talem Kal. Jan. Hadriano patri Ælius Verus dicere paraverat (c) Idem asseritur exemplis.

Nec absimilem Pacatus Theodosio Ausonius Gratiano, Claudianos Honorio, alij alijs scripsere; qui hanc acceperunt famam, ne ejus contemptu contemni virtutes viderentur (d)

4. Modestiores quidem, qui exemplo Antalcida sciunt Deum scire, quidquid in vita egregij patrant, sive id prædicetur, sive fileatur, sæpè intercedunt his laudationibus, quod Trajanus fecisset si permisisset sibi vertare, quod Senatus jufferat (e) Theopompus honores decreto Pyliorum sibi

B 2 tribu-

(r) text. l. 4. D. de fid. Inst. l. 4. D. de pignor. l. 23. D. de aq. & aq. pluv. arc. (u) Plin. Paneg. c. 4. (x) Idem lib. 3. ep. 18. (y) Plin. Paneg. cap. 4. (z) Lips. in not. ad d. c. (a) Synes. in orat. ad Arcad. Imp. (b) Erasim. libr. instit. princip. pag. 119. (c) Spartian. in Ælio Vero. c. 2. (d) Tacit. 4, 38, 7. (e) Paneg. c. 4.

tributos rejecit. Agesilaus nec vivus, nec mortuus quidquam voluit superesse illustrandæ memoriæ suæ, nisi *præclarum*, quod gesserit, *facinus*, hoc, inquit, erit *monumentum mei*. Julius Cæsar, Augustus, Tiberius (verbo quàm mente potius) *ne nomen Domini, Regis, divinarum occupationum admisere, quasi invidiæ, opprobrij aut contumeliæ titulum* (f)

CAPUT IV.

Privati
prava
causa, ori-
go, defini-
tio.

I. **P**Privatus non est Panegyricus, sicuti tyrannus non est princeps, quia deficit nomen, forma, autoritas & utilitas publica. Propriè est privata laudatio. Cujus plerumque causa est vel *libido quemcunque principem adulandi*; & excessus obsequii, privatumque placendi studium eorum, qui quidem placentes ac gratiosiores, non adultores dici volunt. Gens pessimè prudens, ac splendidè mendax, quæ non probanda probat, quæque laudat.

*Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum in validi collum cervicibus æquat
Herculis Antæum procul à tellure tenentis.* (g)

Quæ muscas vocat felices, quæ principis manum aut frontem pungunt, & quibus regii sanguinis gustandi gratia facta est.

Vel depravatam judicium, quo olim legati Atheniensium Philippum Regem prædicabant *formosum, facundum, & ad bibendum strenuum*. Quibus in laudibus nihil esse dignum Rege dicebat Demosthenes; sed *primam esse feminarum, alteram sophistarum, tertiam spongiarum*. Eodem olim concentu P. R. *formosum alium, (Domitianum) gestum alterius & vocem (Scævici Imp. Neronis)* laudabat.

Vel calor juvenilis, qui in scribendis Principum laudibus nunc ut cum maximè ebullit, propriæ laudis aut commodi studio. Et, si quod res est, fateri volumus, quæ olim erat ambitio in agendis causis, eadem hodiè est in dicendis panegyricis, quam ille sic notat. *Ante memoriam meam, ita majores natu solent dicere, ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat,*

(f) Sueton. Aug. cap. 53. Tacit. 2, 87. 2. Erasmi. lib. 4. apoph. pag. 304. (g) Juvenal. Satyr. 3.

rat, nisi aliquo consulari producente, tantâ veneratione pulcherrimum munus colebatur; nunc refractis pudoris & reverentiæ clausulis omnia patent omnibus, nec inducuntur, sed irrumpunt. (h)

Privatæ verò laudationis origo est ab illo Romanorum more adulatorio; quo loco sententiæ designati Coss. aliquid in honorem principis censebant (i) qui postea mos adeò invaluerat, ut nihil tam vulgare, tam pravum in Senatu ageretur, quo non laudibus principum immorarentur, quibuscunque necessitas censendi accidisset. (k) Quinistæ & aliæ acclamationes à theatris in Curiam invectæ, & in levi semper habitæ sunt. Laudes Imperatorum, inquit noster, ludis etiam & commessationibus celebrabantur, saltabantur, atque in omne ludibrium effeminatis modis, gestibus, frangebantur, illud indignum, quod eodem tempore in Senatu & in Scenâ, ab histrione & à Consule laudabantur. (l)

Privata itaque laudatio est ab adulatorio more, aliisque causis depravatis orta declamatio, privato nomine, studio, commodo, fortunæ Principis decantata.

2. Talem vivo Principi dicendam negant, varia rationum momenta. Primò imperatoria, quia viventes laudare irrisio est maximè imperatores, à quibus speratur, qui timentur, qui prestare publicè possunt, qui possunt necare, qui proscribere. (m) quia deinde uti testes, ita laudatores, idonei non sunt, quibus imperari potest, ut fiant. (n) quia etiam personæ publicæ, æquæ ac res, communi æstimatione, non privatâ affectione valere volunt. (o) quia quoque rarò fit, ut omnibus, quæ vivo principi à privato dicuntur, libertas, fides, veritas constet. (p) non enim in laudationibus, sicut in aliis privatorum actibus, qui coram principe fiunt, toto jure ac veritate teste fieri intelliguntur. (q) Neque Principis præsentia, ut alibi doli ac metus, ita hîc assentationis suspicio purgari, aut tolli, sed nasci & augeri solet: quia ipse sæpè Princeps agnoscit sentitq; non sibi, sed suæ fortunæ dici (r) honorem autoritati, non meritis tribui. Ferè enim honor potentum non est honor, sed adulatio (s) perpetuum, familiareq; regum matum (t) nocentissimum, quæ aut laudando

Negatur
questio de
privato
variis ra-
tionibus.

B 3, do

(h) Plinius lib. 2. epist. 14. (i) Lips. in arg. panegyri. (k) Plinius panegyri. cap. 54. (l) Idem ibid. (m) Spartian. in Pescen. cap. 4. Lamprid. in Alex. Sev. cap. 8. (n) l. 7. D. de Testam. (o) l. 62. D. ad l. Falcid. l. 33. D. ad lib. aquil. (p) Plin. panegyri. c. 1. (q) l. 19. C. de Test. (r) Plin. panegyri. c. 2. Plut. arch. orat. de fortit. Alex. M. (s) Erasmi. lib. de inst. princip. Christian. (t)

do principem, juniorem præsertim ac iudicio minus firmatum, inflat & inflammat, ut de se dicenti plus, quàm sibi, credat, quàm est, aut futurus est; cuiusque virtus laudata, quia crevisse putatur, crescere desinit: aut laudando corrumpit eundem, ejusve malitiam auget; quæ laudationes, non minus ac *captatorie voluntates improbandæ* (q) ipsique laudatores, veluti *Principum venatores, exautorandi, non audiendi sunt* (r) quin *tanquam corrupti principis rei, qui que fontem publicum, unde omnes bibant, veneno infecerunt* (s) *gravius puniendi, quàm qui Principis monetam corruerunt* (t) quia quanti ea sit; tanti non est, quanti est principis animus.

Privata
laudatio
immode-
rato parca,
moderato
nimia, im-
merenti
exprobra-
toria, me-
renti non
semper
grata, à
malo dicta
opprobria-
toria.

3. Porro, quia, nisi modesto dicatur, prout à privato dictum sit, parùm & ab ingrato dictum, minusque videbitur malum reprehendi, quàm frigidè laudari: si moderato, nimum; idq; fascino obnoxium, ne noceat, præfiscini audit & odit: nec dicentem ulla dignatur gratiâ, ne erubescat & ipse. quia blandienti invicem blandiendum, aut modestissimè sic respondendum habet: *Mallem addidisses laudibus, quibus me extulisti, patientiam meam, quâ usus sum tuâ erga linguam, donec laudes istas evomeret, quibus intercedere nolui, non quod eas mihi deberi putarem, sed ut tibi eam laudem, ad quam adspiras, concederem, ne non alij intelligerent, posse te etiam id, quod non est, efferre, ut videatur esse.* (u) Deinde, quia, nisi merenti dicatur. *periculum est, ne, cum dicatur de humanitate exprobrari sibi superbiam credat, cum de frugalitate, luxuriam; cum de clementia, crudelitatem, cum de liberalitate, avaritiam; cum de benignitate, livorem; cum de continentia, libidinem; cum de labore inertiam; cum de fortitudine, timorem* (x) Tum, quia ne merenti, quidem semper gratæ sunt laudes, quamvis veræ, quia fortè intempestivæ, nec extra invidiam aut periculum (y) Non placent lepori de sua carne laudes, quas vulpes, præsentem lupo, decantat

Malè agit privatus, qui inconsultâ voce laudat: pejus, ubi malus, quia quem laudat, lædit; *improbo probari opprobrium, laus displicere.* Aristhenes laudatus à malis, *vereor, inquit ne quid imprudens fecerim mali; nam*

à tali-

(q) l. 70. D. de hered. instit. l. 1. C. de stat. & imag. (r) c. clericus, qui, 46. distinct. (s) arg. l. 1. §. 4. D. de serv. corrupt. & Erasmi lib. de instit. princip. (t) l. 8. D. de fals. l. 1. 2. 3. C. de fals. mon. Constitut. Criminal. imper. art. 3. (u) Guaz. lib. 4. civil. conversat. (x) Plinius panegyri. c. 4. (y) Tacit. 1. hist. 64, 7. Agricol. 41, 1.

à talibus nemo laudatur, nisi ob malefacta, nisi similis ipsis. (z) Augustus Imperator indignè ferebat, aliquid de se componi, nisi à præstantissimis. Cum Titium Annium, Vatinii, laudes, clarissimo viro nonnullam laudatione tuâ labeculam aspersisti; in illorum enim numero mavult Titius Annius esse, qui à te vituperantur. (a) In eadem verò ansas non venit publicus Panegyricus. Neq; enim dignus est à quopiam redargui, qui publico iudicio meretur absolvi. (b)

4. Denique, quia, si etiam, quo dicatur tempore, omnia conveniant, illud verendum est, ne, ut omnium rerum semper quasi naturali lege mutatio est, & principis æquè ac populi animus mobilis laudati mores inclinent, & primis ultimi cedant (c) sitq; necesse, ut, cui antea plus quàm homini, post minus, quàm feminæ tribuatur; & quæ diu Dea in regno habita, nunc dicatur alienæ civitatis, vitæ, fidei, inquilina. Quod si fortè eadem morum cætastrrophe publicè laudato contingat (quod rarò fit, quia ille plerunque publicè laudatur, quem jam ætatis inflexa maturitas, & senectutis insignia ornata cæsaries ostentant) laudator tamen publicus publico tutus nomine, extra lutum hoc potest facile habere pedes; at privato pro veritate adulatorium dedecus, pro fide pudor, pro libertate rubor constat perpetuus; nec, qua elabatur, rimam habet ullam. Culpa enim autorem, ut umbra Solem, sequitur. Ipsa quoque laudatio aut est exprobratio, aut, literâ unâ atque alterâ leviter transpositâ, adulatio, decantata iis, qui boni videbantur, nec erant; quia boni non sunt, nisi (quatenus natura infirmitatis humanæ patitur) qui in benè agendo constantes sunt. (d)

5. Tandem, quia arrogantioris est, sibi sumere arbitrium de vivo principe sentiendi; nec rogatus de eodem dicendi, cujus publica autoritas, fama, & amplitudo in publico residet iudicio privato cuiusvis major; nec unquam unius privato credenda testimonio, quod aliàs alijs in ætibus vix, in alijs omninò non admittitur. (e) Pleraque quoque Principis privato sunt inexplorata, nec nisi fortè audita; quæ, nisi ab ipso sint declarata principe, aut à scientibus percepta, nō creduntur, cum dicuntur. (f) præ-

(z) Laert. lib. 6. c. 2. (a) Cic. in Vatin. (b) Theodoricus apud Cassiodor. (c) Spart. in Sever. c. 4. Tacit. 5, 6 4, 3. 6, 32, 7. 12, 29, 1. 15, 21, 3. 1. Histor. 50, 5. (d) Brochm. Specim. Ethic. Histor. c. 4. (e) l. 9. C. de testib. l. 20. D. de quest.

Eadem,
mutatis
laudati
moribus,
mutationi
ac pudori
obnoxia

Eadem
nulla ex
defectu
mandati,
privati u-
nius judi-
cio, arro-
gantia,
ignorantia.

(f) præsertim à junioribus, qui hodie in hac ratione principum bonam paginam facere conantur.

Laudes animæ, corporis, fortunæ, principalium artium, regnandi regularum, aliorumque, quæ benè & ex uti.

*Eadem re-
jecta præ-
dentiorib.
principib.*

6. Prudentes igitur Principes ejusmodi privatas laudationes semper ferè rejecerunt. Augustus Imper. admonuit prætores ne paterentur nomen suum commissionibus Rhetorcalorum, aut mimorum obsole fieri. Trajanus privatas gratiarum actiones cohibuit ac compressit. (g) Pescennius Niger mortuus laudari, vivus placere voluit; & panegyricum sibi recitare volenti dixit; Scribe laudes Marij, vel Annibalis, vel alicujus Ducis optimi vitæ functi, & die, quid ille fecerit, ut eum nos imitemur. (h) Alexander Severus Oratores ac Poetas, non sibi panegyricos dicentes, quod exemplo Nigri Pescennii stultum dicebat, sed aut orationes recitantes, aut facta veterum libenter audivit; libentius tamen, si quis ei recitavit Alexandri M. laudes, aut meliorum retrò principum, aut magnorum urbis Romæ virorum. (i) Julianus, Christianæ fidei desertor, cætera princeps laudabilis, ab aulae mancipiis laudatur, quod jus suum cuique æqualiter redderet, dixit: exultarem his vocibus, si ab iis proficiscerentur, quibus integrum esset, actiones meas culpate, sicubi hallucinarem, & ab officii religione deflecterem. (k) Sigismundus Imper. non verbo, sed pugno hanc laudandi licentiam repressit, inflicto illi, qui inter cætera laudum, ipsum appellasset *Deum*; quærentique,

Cur me verberas Imperator;

respondit,

Cur me mordes, adulator.

Nullum ego sum Numen, quid me immortalibus equas?

Scilicet, qui bene presenti dicit, is malè fere dicit. Qui tibi plus subito blanditur, aut jam te decipit, aut brevi est decepturus. (l)

*Ex dictis
deducta
disquisitio-
nis conclu-
sio; & ad
eandem
confinia
digressio.*

Ex his ritè consideratis liquere arbitror tum cui vivo principi, à quo, quomodo ac qualis sit, qualis & à quo & quomodo non sit dicendus panegyricus; cum qui scriptores panegyrici sint, qui non sint referendi

(f) *argum. l. 2. §. 8. D. de aq. & aq. plur. are. l. 14. D. de dot. prælegat.* (g) *Plin. pan. c. 4.* (h) *Spartian. in pescen. c. 4.* (i) *Lamprid. in Alex. Sev. c. 8.* (k) *Baud. in in orat. ad panegyri. (l) Guaz. lib. 1. de civil. conversat.*

rendi inter principis ministros, nempe, qui autoritate publica non qui privatâ tales sunt. Nunc disquisitionis confinia expediamus.

CAPUT V.

I. **C**æptum est quoddam panegyrici genus, quod permissu Rectoris Magnifici, perspecti literarum studiosi Principibus, viris que magnis, publico in loco dicunt. Hoc speciem, non autoritatem publicam habet. Habet quidem Scholarium Magister in actibus Academicis *Iudicium de panegyricis Academicis.* *Rectoris autoritas.* *autoritatem publicam, jurisdictionem quandam, plenam hîc, alibi, minorem (m) dignitatem sepè comitivam (n) adeoque characterem publicæ personæ, sed respectu dictorum actuum; intuitu aliorum, ad quos illa propter rationis diversitatem extendi nequit, ipse est persona privata; qualis est actus decernendi alicui panegyricum, qui honor est maximus, & longè major, quàm ex concessa potestate imperiali creare DD. legitimare, natalibus restituere; estque juris publici, non Academici, publicæ, non Scholasticæ authoritatis; summi hoc est principis, aut ejus vices fungentis Senatus, in quo & se quoq, ipse numerat. (o) Studiosi, quorum scientia totus mundus illuminatur qui protectionem Imper. specialem merentur (p) quibus licet sine consensu patris in iudicio experiri (q) pro amicis testimonium ferre (r) ambitum laudis & dignitatem sectari. (s) privilegiatæ sanè personæ sed non sunt publicæ (t) adeoque nec à Rectore nec à se ullam publicam autoritatem dicendi panegyricum habent, nisi specialiter ipsis concedatur à principe, aut ejus amplissimo ac gloriosissimo cætu, Senatu, publici honoris ac utilitatis custode ac iudice. *Studiosorû dignitas.* (u) Hîc decernitur, hîc invenitur laudum testimonium, ubi gratificatio non potest esse suspecta. Regnantis quippe sententia iudicium de solis actibus sumit, nec blandiri dignatur animus dominij potestate munitus. (x)*

C Locus

(m) Middendap. lib. 3. c. 13. Heig. p. 2. quest. 11. Besold. cap. 3. §. 2. de Academ. Bodin. lib. 3. cap. 7. de republ. (n) l. unica C. de professor. qui in urb. Constantinopol. (o) l. 8. C. de dignit. l. 1. D. de offic. præfect. prætor. (p) Constitut. Frider. Habita. C. ne fil. pro pat. (q) l. 18. §. 1. D. de iudiciis (r) Felin. in c. cum R. De officio de legat. (s) §. ult. in procem. instit. (t) §. penultim. institut. de Atrilian. tut. (u) l. 3. C. quando provocat. non est necess. C. l. 8. C. de leg. l. unica C. de profess. qui in urb. Constant. (x) Cassiodor. lib. 1. epist. 5. lib. 9. epist. 7.

Studiofo-
rum audi-
toria pu-
blica, non
curiata.

Locus verò publicus, aliàs aliquid momenti habet *in delictis punien-*
dis (y) *in dignitate conferenda aut adimenda*; (z) at in dicendo panegyrico,
ubi forma, hoc est, publica autoritas deest, publici sibi nihil facit, quia
locus publicus etiam privatis usibus deservire potest. (a) Neq; etiam à publicâ, cui
dicitur, personâ solâ vis actus publici dependet, quia eadem causa, eadem
conditio, & alia actus publici momenta adsint oportet, *quæ ubi non con-*
currunt res alia est (b) & alieni juris usurpatio. Cujus enim est macu-
losas vitiatæ opinionis notas abstergere *crimina abolere statuas ac imagines*
erigere (c) ejusdem est publicum panegyrici monumentum excitare,
quod instar est picturæ aut statuæ loquentis. Quod jus scholæ addi-
ctis non competit, nisi specialiter, at modò dictum, concessum demon-
stretur.

Quatenus
hac scriptio
Academi-
cus Conce-
denda.

2. Velificandum tamen videtur viris Academicis; & hoc quasi
medium panegyrici genus indulgendum; sed his circumscriptum can-
cellis; primò, ne id dicatur Principi juveni, ad togatam armatamve pri-
mam misso militiam; quia ad quodvis illius factum, (quod plerique au-
licorum, aliique laudicæni faciunt) publicè acclamare. *καλῶς κὶ σοφῶς,*
benè ac sapienter, idem est, ac segetem in herba corrumpere, fallere lauda-
tum, fallere bonum publicum, quod olim habiturum est laudatum ma-
gis, quàm laudabilem Principem. Expediit quidem suo loco ac tem-
pore, sed aliâ, quàm hâc ratione, & ambitione, minimam etiam juvenis
actionem laudare *ut juvenilis animus levium quoq; gloria rerum sublatus ma-
jores continnet* (d) deinde tale dici potest principi seniori, qui in Acade-
miam privilegia ac beneficia contulit; at ultrâ ea ad alia digredi Princi-
pis munera nefas esto: fas contrâ esto celeberrimos liberalium studio-
rum professores laudari tum privatim tum publicè. Porro isti lauda-
tores partes boni Oratoris agunt, qui laudando laudes sæpè propo-
nunt, non recensent, crimini adulationis effugiendo.

Sed & alii, qui hîc laudantur, si fortè laudibus iis carent, laudato-
ribus ne succenseant, quasi exprobrantibus, nec intumeant, quasi iisdem
niteant; sed nitantur, quæ dicuntur, assequi laudes: quæ veræ longè ma-
ximam

(y) l. 16. §. 14. D. de pœn. (z) l. 1. D. de offic pro consul. (a) l. 2. §. 2. D. ne quid in loc. l.
un. C. de stud. liberal. (b) arg. l. 14. D. d. except. rei judic. (c) l. 4. C. ad SC.
Terrill. tit. C. de abolit. l. 7. 8. 10. 12. D. eod. tit. C. de stat. & imagin. (d) Ta-
cit. 13. An. II. I.

ximam adferunt lætitiā, cum falsò attributæ delectent. Hoc modo id genus Panegyrici Academici, fucatæque laudis studium utrinque salutare esse potest.

3. Illa verò labes laudum, quæ quosdam scholarium magistros infecit, sua mopere purganda est. Scribunt

*Judicium
de testimo-
niis DD.
Academi-
cor.*

istis codicillos de hujus vel illius perspecta morum ac scientiarum claritate, quibus laudati plerunque insolescunt, magistratus, cui allegantur, sæpè decipitur, res publica simul læditur, quia sub illorum fide *C literis enim approbatis statur* (e) commendatis dantur munera, non muneribus commendabiles. Sanè ejusmodi *literæ commendatitiæ*, quia *privato jure non pariunt actionem quod jussu*; (f) publico, quod læditur, jure vindicandæ sunt.

4. Præterea blandiuntur sibi in hac causa viri etiam magni; hancque sibi invicem impingunt gloriosam, ut ajunt, *nimia eruditionis contumeliā*. (g) non insuavem illis, qui, *oleum*

*Judicium
de laudib.
virorum
magnorum*

in auricula ferunt, quia omnes, qui gloria, fama, ducuntur, mirum in modum assentatio, & laus à minoribus etiam profecta, delectat, quia amore proprio excreati laudum pondera non discernunt, sed quascunque in jucunditatem trahunt: sic propriā magis, quàm aliena adulatione pereunt; quia nemo sibi ipse verum dicere audet, & quia *inter laudantium blandientiumq;* *posuius greges plurimum tamen sibi quisq; ipse assentatur*. Sic ipse sibi Cato adulatus, os postea sensit sublitum. Themistocles ejus vocem libentius audivit, qui laudes suas maximè prædicaret (h) Demosthenes anus voce electatus; *Hic est ille Demosthenes*. (i) Horatius muneris magni loco habuit, quod:

C 2 Mon-

(e) l. 65. D. de procurat. (f) l. fin. C. quod cum eo, qui in alien. potest. (g) Forstner. in præfat. ad not in Tacit. lib. 11. 12. 13. (h) Plutarch. in Cat. & Erasmi. lib. 5. apoph.

*Monstratur digito prætereuntium
Romanae fidicen lyra.*

Plinius noster Tacito adæquatus *celebritate nominis sui gavisus est.* (k)

*Laudato-
rum cura.*

5. Verum enimverò vera virtus non eget humanis laudibus, nec amicorum codicillis, ipsa suum secum ducit decus ac gloriam. Si cui tamen in vita, sive ex debito pietatis, sive alia de causa, contingat laudatio, publica, privata, aut Academica, ea, qua extollitur, non infletur, sicuti vituperio, quo fortè infamatur, non irritetur; neq; enim laude illius melior, neque hujus vituperio pejor fit; quin Pindari exemplo, quoties laudatur, laudatori pro isto officio bonam reponat gratiam; efficiatque ut vera prædicet. Hæc vivorum, qui laudantur, cura esto. His sufficiat recte fecisse, mortuis memoria rectè factorum.

(k) *Plinius lib. 9. epistol. 23.*

CAPUT VI.

*Rationes
negantium
mortuis
dicendum
esse panegy-
ricum.*

I. **Q**uidam verò ne mortuis quidem dicendum esse panegyricum putarunt, quia mors est ultima linea rerum; & quia virtute in morte extinctâ, necesse est ejus extinguere præmium; quia à privatione ad habitum non datur regressus; deinde, quia vitâ functi corpus sensu casum est, animam verò nullo honoris sensu tangi, nec nostris rebus affici creditum est, quia est extra temporis sphæram; præterea infelicis tantam esse miseriam, ut ex nostris laudationibus nullum gaudium, felicitatis tantum gaudium, ut ex nostris

stris lacrymis nullum dolorem percipere possit; vulgo denique putant ominosum, mortuos in ore habere; mortem ideo dici lethum, ἀπὸ τῆς λήθης, ab oblivione, quia, qui vitam excessit, in oblivionem abire convenit: unde præco in funeribus quondam acclamabat: Ollus letho datus est. Et Comici eadem est opinio, inquentis; dum vivit hominem noveris, dum mortuus est, quiescas: quo tandem respicit proverbium;

Vivorum meminisse oportet.

2. Sed hæc, quanquam ita ferè se habeant; defunctorum tamen res ad vivos, horumque ad illos spectare videntur, ratione amicitiae gratitudinis, memoriae. Honor, qui mortuo fit, ejus fit memoriae, non, quæ cassa est, personæ. Cessat quidem actus virtutis, in hominis obitu, ut ejus durat utilitas ac gloria. *Vt mortui non in unam aetatem profuerunt, sed sua beneficia etiam post mortem reliquerunt; sic & nos non una aetate gratissimus.* Nec respiciendum, eam re, nec ne tangantur: quidvè animæ à corporibus solutæ de nobis sciant, cogitentve; C. id enim sacrorum DD. alibi notant, (1) nec quæ potius inducenda, introducenda est isthæc ingratitude; *nimum jam est familiare, oblivisci mortuorum, & memoriam cum corporibus efferre.* (m)

*Asseritur
nostra ne-
gates mor-
tuorum lau-
datio alijs
rationibus.*

Ingrato & superstitioso vulgo mortis nomen ominosum, & nigra theta terribilis est; lethum ideo ab oblivione dictum, quia in morte malorum, quæ in vita tulimus, obliviscimur: *Vivorum quidem meminisse oportet*, inquit Pomponius

C 3 ponius

(1) 2. Regum. 2. 27. 2. Regum. 22. 10. Luc. 16. 25. Apocalip. 6. 10. 8. 17.

(2) Adde Plat. epistol. 2. ad Dionys. (m) Senec. epistol. 99. Esa. 56. 13.

nus Atticus, nec tamen mortui licet oblivisci, etiam si cupiam, cujus imaginem, non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis & annulis habent. (n) Placeat Thaletis dictum, oportere non minus absentium amicorum, quam presentium memores esse: & Senecæ; hæc debemus virtutibus, ut non presentes solum, sed etiam ablatas è conspectu colamus. Et, si, qui post mortem suam perduellionis reus est judicatus, cujus memoria damnatur; (o) si ex causa læsæ majestatis, alteriusve majoris criminis statua detrahuntur (p) multò potius mortuis, qui benè de Republica meriti sunt, honor est deferendus quia ad præmia, quàm ad pœnas simus proniores.

Rectè itaque Panegyrici tam publici, quàm privati, ac Academici viris bonis vita functis dicuntur. Rectèque ut absentium, ita mortuorum memoria retinenda olim efficta sunt simulacra, sigilla, oscilla, statua posita, editi ludi, habitæ parentationes annuæ, aliæq; orationes funebres. (q)

Parentationum origo, & exempla.

3. Mos iste laudandi mortuos à Solone institutus ad Romanos, deinde ad nos pervenit. Primum de Bruti laudibus panegyricum habuit Publicola, qui Romanis adeò gratus fuit, ut inde consuetudo manserit, laudandi strenuè mortuos. (r) Cicero similem de Servio Sulpitio, in legatione ad Antonium mortuo, dixit (s) Virginus Rufus laudatus à Consule Tacito. Hicque laudator eloquentissimus, veluti supremus felicitatis cumulus ipsi accessit (t). Muretus Magno Ordinis Equitum Melitensium magistrato

(n) Cic. lib. 5. de fin. (o) §. per contrar. instit. de hered. quæ ab intest.

(p) l. 24. D. de pœn. Papo lib. 24. tit. 10. articul. 5. 7. Tacit. 3.

17. 8. Sueton. Domit. c. ult. Lamprid. Heliog. cap. 6. Capitolin.

Gord. cap. 3. (q) Polidor. Virgil. lib. 2. cap. 23. lib. 3. cap. 10. de

rerum invent. Cic. 2. de ll. (r) Plutarch. in vita Valer. Public. (s)

Cic. 9. Philip. (t) Plin. lib. 2. epist. 1.

gistro Cassertano parentavit. Martyrum memoria præcipue fuit sacra & laudabilis primis fidei Christianæ temporibus. *His annua instituta sacra, horum statua & imagines in templis posita (u), tandem eorundem corpora ibidem sepulta sunt, veluti virtutis ac pietatis judicia vivorum oculis exposita: post, non pauci divorum catalogo ascripti. (x) sicut olim Heroes inter divos relati. (y).*

4. Honoratior vero est, qui mortui memoriæ litatur, quam qui vivo dicitur panegyricus, quia ille honor ejus est potius, qui honorat mortuum, quam, qui honoratur, mortuus; quia, qui mortui virtutem laudat, pari ipse æstimatur virtute: quod unicum efficacissimum est judicium egregios vita functos viros, celebrandi. *Nihil, inquit noster, laudabilius, quam defunctorum merita honoribus extollere; est adhuc cura & hominum fides & officium; sunt, qui defunctorum quoque amicos agunt. (z) Magnorum virosum mortem esse honoribus cohonestandam, lex illa etiam documento est, quæ vult magnificè parentemus; & contumeliæ genus reputat, si in funere opulenti, & clari viri pauca impendamus. Videtur quidem vivi, quam mortui laudatio excellentior, quia ille laudatur ob ea, quæ modo fecit, nunc bene facit, post bene facere potest; hic vero tantum ob præterita merita: tamen hujus laus est præclarior, quia non modo in vita bene egit, sed & in benè agendo fuit constans, honestasque cum ipsa vita finivit actiones contra vivos interdum fortuna, sæpè invidia fatigat: ubi verò anima naturæ cessit, demtis obtrictatoribus, ipsa se virtus magis magisque extollit. (a) juxta illud Propertii. Majus ab ex-*

(u) Euseb. histor. Eccles. 7. Synod. Constantinopol. & Nicen. sexta. (x) Decretal. libr. de Reliq. (y) Dio libr. 56. (z) Plin. lib. 1. epist. 17. l. 14. §. 10. D. de relig. & sumpt. fun. (a) Salust. in oratione de ordin. republ.

ab exequiis nomen in ore venit. (b) Si in se studia convertit publica gloria mortui, quanta quæso ejus, dum vixit, putes fuisse merita? Hinc mortis dies olim maximè sacer, & natalis dictus. Sacra etiam solennia, non funera, sed natalia nuncupata sunt, quia viri boni defuncti anima tum demùm in veram nascitur vitam.

*Earundem
veritas &
utilitas.*

5. Verior porro ac sincerior est istius laus, quia de mortuo nihil amplius speramus, nullamque ad laudationem ejus autoritate cogimur; contra, quæ vivo fit, ejus gratia facta videtur. Utilior quoque & ad æmulandum est efficacior, quod post ultima etiam fata laudari videmus. *Ve- hementissimè enim inde animus ad virtutem accenditur: & memoriâ rerum gestarum ea flamma egregijs viris in pectore crescit, neq; prius sedatur, quàm vivorum virtus famam mortuorum atq; gloriam adæquaverit.* (c) Ut igitur universim concludam, nisi autoritas, publica aliter jubeat, mortuo, quàm vivo, potiùs dicendus est panegyricus, calculo vel sequentium etiam sententiarum.

*Eadem
probatur
sententijs
exquisitis.*

6. *Ante mortem ne laudes hominem.* (d)

Vetus hoc dictum est priori seculo celebratum;

Quod non datum sit de cujusquam vitâ judicare,

priusquàm mortuus sit, utrum ea bona, an secus

fuerit. (e)

Verissimè

(b) lib. 5. eleg. 1. (c) Salust. in princip. Ingurth. (d) Syracid. 11, 30.

(e) Sophocl. in Troch.



Verissimè uti judicatur, meruerit quis honorem nec ne, cum adeptus est; ita cum mortuus est. (f)

Mores hominum post mortem melius judicantur, quam in vita. (g)

Humanæ vitæ conditio præcipuè primo ac ultimo die continetur. (h)

Alius de alio judicat dies, supremus de omnibus. (i)

Vnus dies de omnibus fert sententiam. (k)

Dies posteriores sunt testes sapientissimi. (l)

Ambulatoria est voluntas hominis usque ad extremum vitæ exitum. (m)

Sapientia exitu canitur. (n)

Civitati grande desiderium Barrhi mansit per memoriam virtutis. (o)

De mortuo frequenter loquere, & memoriam ejus, quantum potes, celebra. (p)

D Vir pru-

(f) text. panegy. Plin. cap. 95. (g) Brochman. Specim. Eth. Histor. cap. 1. (h) Valerian. Maxim. lib. 9, cap. 12. (i) Plinius lib. 7, cap. 40. (k) Cic. de fin. (l) Pindari dictum. (m) l. 4. D. de adim. legat. l. 32. §. 3. D. de donat. inter vir. & uxor. (n) Adagium. (o) Tacit. 14. 51, 3. (p) Senec. Epistol. 99. Syracid. 44, 1.

Vir prudens meminisse perseueret, lugere desinat (q)

Mortuorum fidem non possumus obliuisci. (r)

--- Meriti post me referentur honores. (s)

*Domitius Tullus longè melior apparuit morte, quàm
vitâ, (t)*

Honestiora, quæcunque mortuo, quàm viuo contingunt. (u)

Non est tibi his solis utendum existimationibus,
ac iudiciis, qui nunc vivunt, hominum: sed eorum
etiam, qui futuri sunt; quanquam illorum verius est
iudicium, obtrectatione & invidiâ liberum. (x)

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit,

Tunc suus ex merito quemq; tuetur honor. (y)

Præsentia invidiâ, præterita generatione pro-
sequimur. (z)

Mors odio aut gratiæ eximit, suum cuiq; decus
posteritas rependit. (a)

Dem

(q) Idem ibidem. (r) Theodorici dictum apud Cassiodor. lib. 1. epistol. 39.

(s) Statius seu Thela. (t) Plinius lib. 8. epist. 18. (u) Aristotel. 1.

Rhetor (x) Cic. libr. 1. epistol. ad Q. Frat. (y) Ovid. lib. 1. eleg. ultim.

(z) Voll. Patercul. lib. 2. c. 92, 5. (a) Tacit. 4, 35, 1. 3.

Dem Lebenden wird zwar / geschmeichelt
gar zu oft /

Den Todten lobt man recht / von dem man
nichts mehr hofft. (b)

Postquam (vivi) desuimus facere laudanda, laudari
quoque ineptum putamus. (c)

(b) Teutsch Andencken Burckhardi, Cancellarij Wirtemberg. (c) Plinius
lib. 3. Epistol. 21.

F I N I S.



Q# 117 1354

© 1911
© 1912
© 1913
© 1914
© 1915
© 1916
© 1917
© 1918
© 1919
© 1920
© 1921
© 1922
© 1923
© 1924
© 1925
© 1926
© 1927
© 1928
© 1929
© 1930
© 1931
© 1932
© 1933
© 1934
© 1935
© 1936
© 1937
© 1938
© 1939
© 1940
© 1941
© 1942
© 1943
© 1944
© 1945
© 1946
© 1947
© 1948
© 1949
© 1950
© 1951
© 1952
© 1953
© 1954
© 1955
© 1956
© 1957
© 1958
© 1959
© 1960
© 1961
© 1962
© 1963
© 1964
© 1965
© 1966
© 1967
© 1968
© 1969
© 1970
© 1971
© 1972
© 1973
© 1974
© 1975
© 1976
© 1977
© 1978
© 1979
© 1980
© 1981
© 1982
© 1983
© 1984
© 1985
© 1986
© 1987
© 1988
© 1989
© 1990
© 1991
© 1992
© 1993
© 1994
© 1995
© 1996
© 1997
© 1998
© 1999
© 2000
© 2001
© 2002
© 2003
© 2004
© 2005
© 2006
© 2007
© 2008
© 2009
© 2010
© 2011
© 2012
© 2013
© 2014
© 2015
© 2016
© 2017
© 2018
© 2019
© 2020
© 2021
© 2022
© 2023
© 2024
© 2025

F I N I S

ml

kon



Pou TF 1354, QK

ULB Halle

3

004 360 613







Q. H.

